

V C
2448





1416. Q. h. 27, 9. 9

I 291. 1

Vc
2448



*Illustrissimus Celsissimusq; Prin-
ceps ac Dominus*

Dn. AVGVSTVS
SAXONIAE DVX, LAND
GRAVIVS THVRINGIAE, MARCHIO
Misniae. Postulatus Administra-
tor Naumburgensis

RECTOR
ACADEMIAE VVITEBER
GENSIS MAGNIFICENTISSIMVS
solemniter renunciatus

à
BARTHOL. REVSNERO
U. I. D. & Professore, magistratu
Scholastico abeunte

*XVII. Kal. Novemb. Anno
Christi M DC I.*



VVITEBERGAE
Excudebat Ioh. Faber, Typis Cratonianis.



Illustrissimo Celsissimoq; Principi ac Domino,

Dn. AVGVSTO

SAXONIAE DVCI, LANDGRA-
VIO THVRINGIAE, MARCHIONI MISNIAE,
POSTVLATO ADMINISTRATORI NAVMBVRGBNSI,
RECTORI ACADEMIÆ VVITBERGENSIS
Magnificentissimo, Principi ac Domino suo
clementi benignissimoq;



*V*AE nuper, AVGVSTE Dux inclyte,
RECTOR Magnificentissime, cum Celsitu-
do & Magn. T. Magistratus Academici in-
signia publicè acciperet, in solita Renun-
ciationis præfatione, de ILLUSTRISSI-
MIS Academia per primum modò defluens seculum Re-
ctoribus breviter promovere & præscripti temporis ratione
commemoravi: ea monitus ut excuderentur, paulò latius
deducere, & cum singulorum vitæ pleniori recensione de-
mum prelo subicere constitueram. Sed mutato deniq;
certis de causis proposito, ab opella jam cœpta & aliquo-
usq; producta, rursus destiti. Ac nunc eadem, perinde
ut tunc recitata sunt, nihilo penitus addito vel detractò,
Celsit. & Magn. T. cui unice & præ cæteris deberi vi-
dentur, submissa animi cum reverentia offero: humiliter
orans, ut hæc qualiacunq; clementer & benignè suscipere,
meq; Principali suo favore & gratia porrò complecti non
dedignetur.

Celsitud. & Magnif. T.

Subjectifs.

B. REVSNERVS D.





VOD AB OPT. MAX.
ET TRIN VNO DEO sup-
plicibus votis semper precati
sumus, ut Academia nostræ in-
dies magis magisque benedi-
cere, & eius incrementa pro-
movere dignaretur: id qui-
dem antehac etiam satis abun-
dè, hoc autem primo decimi septimi Christiani
seculi anno ingenti omnium nostrum cum gau-
dio cumulatisimè præstitit. Ut enim taceam
duo illa, quæ nobis Divino munere hætenus fuê-
re ac etiamnum præsto sunt, Literarum doctrina
& Religionis veritas: ut aëris, quem hoc anno
salubrem hausimus, sanam temperiem, & alio-
rum ad vitæ sustentationem necessariorum suffi-
cientiam præteream: sileam quoq; cætus Acade-
mici frequentiam eximiam & adhuc quotidie ac-
crescentem: honores deniq; non recenseam litera-
rios, ab omnibus fermè Facultatibus hoc anno ero-
gatos, aut propediem erogandos: ut hæc, inquam,
omnia silentio nunc involvam, alioquin magna
& prædicanda: Quanti quæso primùm æstimare
debemus illud, quòd superiori vere Illustrissi-

A 2 mus

4
mus Generosissimusq; Princeps ac Dominus, Dn.
AUGUSTVS, Saxoniae Dux, Landgravius Thuringiae,
Marchio Misniae, postulatus Administrator Naumburgensis,
Dominus noster benignissimus (quem animo & corpore ad summam usq;
gratiam florentem, & hic in medio nostri constitutum, submissè
veneramur ac suspicimus) Academiae hujus civis & membrum
effectus est? Ob cujus splendidissimam praesentiam haec nostra
Academia inter caeteras caput suum tantum efferre coepit,
quantum lenta solent inter viburna cupressi. Quanti deinde
aestimabimus alterum illud hujus anni beneficium, quod idem
aeternus & omnipotens DEVS, nuper adeo & nondum exacto
mense, benigniter ac paternè hisce regionibus & provincijs,
ac unà Academiae nostrae largitus est? Quum nempe
Illustrissimus Celsissimusque Princeps ac Dominus, Dn.
CHRISTIANVS II. Saxoniae Dux & nunc Elector florentissimus,
Landgravius Thuringiae, Marchio Misniae, Burggravius
Magdeburgensis &c. Dominus noster clementissimus, in
legitimae aetatis portum feliciter appulit: & non tantum
suae tutelae Ipse effectus, sed unà (quod felix faustumq;
Ecclesiae suae, & toti Christianae Reipub. denuò
Altissimus esse jubet) subditorum suorum tutelam
suscipiens, longè amplissimae in Romano Imperio dignita-
tis

5
tis ac provinciæ, à Divis Majoribus suis longissi-
ma familiæ serie in se propagatæ, capax, pleneq;
compos & dominus constitutus est. O faustum
& fortunatum nuperum illum IX. Calend. Octo-
bris diem, quem olim Octavij Cæsaris AVGVSTI
primi Romanorum Monarchæ natalem existen-
tem, Illustriss. Celsitud. Sux annis ab hinc decem
& octo, itidem manè ante Solis exortum, vitæ,
& nunc culminis illius atq; dignitatis Septem
viralis natalem esse contigit! Sanè hoc DEI
beneficium, ut omninò ingens est & maximum,
ita pleno ore prædicandum est: nec res & verba
deessent, si præsentis instituti ratio, aut præscri-
pti temporis angustia pateretur. Interim quod
heri ante Homagij præstationem totius Acade-
miæ nomine ex intimo fidi pectoris penetrali
benè precatus fausteq; ominatus sum, DEVS ter
Opt. Max. effectum reddere dignetur, & præte-
rea clementer largiri, ut Illustrissima Ipsius Ele-
ctoralis Celsitudo, præter & ultra laudatissimo-
rum suorum Majorum inter cæteros celebri-
orum Misniæ Marchionum ex antiquioribus,
CONRADI Magni, HENRICI Illustris ac Muni-
fici, FRIDERICORVM Fortis Gravis & Strenui,
æternam famam & gloriam: primi è Misniæ
Marchionibus Saxonix Electoris, Tritavi sui,
FRIDERICI Bellicosi (qui ob fidele contra re-

6
belles Bohemos SIGISMUNDO Imperatori
præstitum auxilium, in suo pervetusto, & Re-
gio stemmate, non solum avitum Saxonie Du-
cum titulum, qui passim ad alias familias huic
non agnatas ab Imperatorum Saxoniorum obi-
tu evagatus erat, ad legitimos heredes feliciter
revocavit: sed etiam dignitatem aliam Septem-
viralem nimirum, titulo suo Saxonico annexam
acquisivit, contra invidiam, quoad vixit, stre-
nuè defendit, & ad posteros, adeoq; nunc Divi-
nâ favente gratiâ ad decimum usq; inclytæ hujus
familie Electorem Trinepotem suum propaga-
vit) virtutem ac felicitatem: atavi FRIDERICI,
cognomento Placidi, mansuetudinem atq; cle-
mentiam: abavi ALBERTI, qui ab invicto ani-
mi robore, & rerum, quas pro dignitate Ger-
manie & Patrie salute gessit magnitudine, A-
nimosus & Hector Teutonicus, nec non Dex-
tera manus Imperii appellatus est, Heroicum ro-
bur ac fortitudinem: HENRICI proavi pieta-
tem, & repurgatæ Religionis sincerum studium:
avi AUGUSTI, Principis illius verè Augusti, pru-
dentiam & auctoritatem admirandam: CHRISTI-
ANI deniq; patris eximium decus & splendorem,
cum singulari Iuris ac Iustitiæ amore conjuncta,
assequatur: partamq; & longa serie propagatam
à Majoribus & Parentibus modò commemora-
tis,

7
tis, nec minùs à Latere junctis, MAVRITIO Ele-
ctore patruo magno, GEORGIO propatruo, ER-
NESTO Electore abpatruo, FRIDERICO item
Sapiente, IOHANNE Constante, & IOHANN E
FRIDERICO Magnanimo Electoribus, abpatruu
filijs & nepote, hujusq; liberis, ac in his FRIDE-
RICI GVILIELMI Electoratus nuper Admini-
stratoris ac Tutoris fidelissimi, Principis pientis-
simi prudentissimiq; , insignem gloriam DOMVS
SAXONICAE, non tantùm integram & immi-
nutam conservet, & ad suam quoq; posterita-
tem transmittat, sed multùm præterea augeat
& amplifcet. Quod omne Illustriss. Ipsius E-
lectorali Celsitud. nos omnes & singulos, cum
subiectissima gratiarum actione pro augustissi-
ma præsentia, ex toto corde precari, omninò
fas & æquum est.

Præter hoc ingens DEI beneficium, huic
Electoralis & reliquæ universæ ditioni Saxonicæ
commune, aliud & tertium hodiè offertur divi-
nitùs, Academiæ nostræ proprium, eiusq; respe-
ctu & contemplatione æquè magnum: cujus expli-
candi & in apertam lucem statuendi causâ in hoc
sacro & solenni loco solenniter convenimus.
Illucescet nobis cum Sole perendino dies Lucæ
Evangelistæ sacer, idemq; Academiæ nostræ an-
te nonaginta novem annos natalis. Hoc enim

die,

8
die, Anno CHRISTI millesimo quingentesimo secundo, laudatissimæ felicissimæque memoria Elector FRIDERICVS ejus nominis Tertius, ALBERTI abavivui, inclyte Dux AVGVSTE, ex fratre ERNESTO Electore filius, ob singularem prudentiam miramq; animi sagacitatem, qua præ cæteris sui seculi Principibus excelluit, cujusq; in CAROLI V. Imperatoris electione, perinde ut ipsius atavus FRIDERICVS Gravis in CAROLI IV. Imperatoris designatione, perpetuò commendabile specimen edidit, SAPIENS cognominatus, hoc pietatis & bonarum literarum phrontisterium auspiciatissimè aperuit. In cujus rei solennem memoriam tunc constitutum est, ut quotannis hic natalis Academiae celebraretur, eodemq; die novus Rector, qui hybernis mensibus Reipub. literariæ præesset, nec non Decani singularum disciplinarum sive Facultatem crearentur. Id hac vice ex singulari causa cur aliquantulum anticipetur, heri programmate significatum, & nunc in propatulo est. Vsu etiam in hac nostra Academia jam inde ab ejus incunabulis receptum fuit, ut Magistratus Scholasticus, Professorum alioquin juxta Facultatum ac in Senatum receptionis ordinem proprius, & quo per integrum proximum decennium cum semestri absq; interruptione functi sunt, Principibus & alijs

9
alijs Heroicis juvenibus, studiorum causa ibidem commorantibus & isto loco dignos sese ostendentibus, exemplo aliarum Christiani orbis Academicarum interdum committeretur. Constatq; ex Academiae monumentis publicis, triginta & unum Illustrissimos, Illustres, ac Generosos Academiae nostrae Rectores hactenus extitisse: & quidem ex Palatina & Saxonica Electoralibus, Brunsvicensi & Luneburgensi, Pomeranica item, Ducalibus profapijs, Principes octo: ex Barbienensi, Ebersteinensi, Reinsteinensi, Schlickiana, Stolbergensi, Gorcana, Nassaviensi, Solmensi, Hardecciana, Comitum familijs, Comites undecim: ex Vngnadiorum, Starenbergiorum, Donavio- rum, Polheimiorum, Lobcovvitziorum, Pudlitziorum, Slavatarum, Schleinitziorum, Banfiorum, & Promnitziorum in Silesia, Baronum satum, Barones duodecim, cum uno atq; altero è nobilium genere. Ac ut nunc Principum saltem aliquam specialem mentionem breviter inijciam, in Illustrissimorum numero reperitur primus, G V O L F G A N G V S Comes Palatinus Rheni, utriusq; Bavariae Dux &c. Insignium Ecclesiarum Cathedralium Herpibolensis, Augustensis, Spirensis & Argentinen- sis Canonicus, qui anno M D X V. per aetatem Rector extitit, ac propter prudentiam, doctrinam & integritatem magna deni-

B

que

10
que in existimatione fuit, donec anno quinquagesimo septimo, Sexagenario maior, Novi fori in Palatinatu superiori, placido & beato fine vitam clausit. Quadriennio post hanc, anno nempe MDXIX, itidem per æstatem, inclyti hujus studij sceptram tenuit BARNIMVS, Stetinensium, Pomeraniæ, Casubiæ, Slavorumq; Dux, Princeps Rugiæ & Comes Gutzkoviæ: qui divisione postea cum fratris GEORGII filio PHILIPPO facta, Stetinum cum inferiori Pomerania obtinuit, & anno demum septuagesimo tertio, in castro Odersburgo, ipse Septuaginta & duorum annorum senex, insigni pietate, eximia prudentia & amore literarum clarus, ex hac vita decessit. Tertius in ordine Princeps extitit IOANNES ERNESTVS Dux Saxoniae, Landgravius Thuringiae, & Marchio Misnensis, inclyti & optimi Principis Electoris, Ducis IOHANNIS (qui cum alijs gloriosi nominis Protestantibus, eorundem Coryphæus CAROLO V. Imperatori potentissimo, in magnis illis Imperij Comitij Augustæ Vindelicorum anno millesimo quingentesimo tricesimo habitis, CONFSSIONEM FIDEI, Augustanam inde denominatam, Ecclesiarum ex Papatu reformatarum longè latèq; celeberrimum Symbolum, summa pietatis & constantiæ cum laude exhibuit) filius, & IOHANNIS FRIDERICI Ele-

ctoris

ctoris (commendabili ad extremum usq; vitæ periculum animi magnitudine eandem postea propugnantis) frater, ALBERTI abavitui, inclyte Dux AVGVSTE, ex fratre ERNESTO Electore nepos, anno MDXXXIV per hyemem Rectoris officio functus, & post anno quinquagesimo tertio in ipso virilis ætatis flore Coburgi in Franconia solo natali vitâ defunctus. Ei in magistratu continenter æstate insequenti Anno MDXXXV successit Quartus, ALBERTVS Dux Brunsvicensis & Luneburgensis, qui anno undecimo post in bello Germanico, quod Protestantium vocant, ad Nordlingam Suevorum pro Religione & Patria fortiter dimicans gloriosè occubuit. Quintus & Sextus, anno MDLXIII per hyemem, & sequenti LXIV per æstatem, sibi invicem succedentes, fuere ERNESTVS LVDOVICVS & BARNIMVS fratres, iterum Duces Pomeraniæ: quorum iste serenissimæ tuæ Matris, AVGVSTE Princeps generosissime, sororius, nunc post obitum IOHANNIS FRIDERICI fratris, tuæ itidem serenissimæ Matris sororij, rerum Stetini & in inferiori Pomerania summa cum prudentiæ & dexteritatis laude potitur. Septimus deniq; & Octavus extitere, Anno MDLXXVIII per æstatem & hyemem sese invicem similiter mox insequentes, ERNESTVS & AVGVSTVS fratres, Duces Brun-

12
suienses & Luneburgenses, T. Celsitud. inclyte
Dux AVGVSTE, à Regio communi stipite co-
gnati proprius sobrinis: quorum ille ERNESTVS,
post patris GVILIELMI optimi Principis obitum,
paternarum ditionum gubernationem susceptam
magno cum prudentiæ laude continuat: alter
AVGVSTVS, Literis & Armis conjunctim ve-
ram gloriam quærendam existimans, militiam &
grave Martis opus deinceps secutus, jam aliquot
eximia bellicæ virtutis experimenta dedit. Quos
tres postremos Academia nostræ superioribus an-
nis Rectores verè magnificos, & adhuc supersti-
tes, BARNIMVM nempe Pomeraniæ, & ERNE-
STVM atq; AVGVSTVM Brunsvigæ & Luneburgi
Duces, ut æternus DEVS diu salvos ac incolumes
suis provinciis & toti Germaniæ conservet, meri-
tò rogandus est. Inprimis autem eidem æterno &
omnipotenti DEO gratiæ suppliciter agenda sunt,
quòd non tantum hætenus tot insignia Academia
nostræ decora concessit: sed quòd ita clementer &
benignè hanc scholam etiamnum hodie respicit,
ac simili imò exsuperantiori quodammodò deco-
re ornat & illustrat. Significo enim (quod tertium
illud paulò antè memoratum Academia nostræ
proprium beneficium est) vobis quotquot adestis,
Academia nostræ cives, omnibus & singulis: post-
quam superiorib. diebus Illustrissimo Generosissi-
moq;

moq; Principi ac Domino, Dn. AVGVSTO, Saxoniae Duci &c. Domino nostro benignissimo, fasces Scholastici debita cum reverentia à Senatu Academico oblatis sunt, ac hodie in vicino hierophylacio majorum more electio per scrutinium solenniter iterata: Celsit. S. interveniente Fratris ac Tutoris, Illustrissimi Celsissimique Principis ac Domini, Dn. CHRISTIANI II. Sacri Romani Imperij Archimareschalli & Electoris serenissimi, Burggravij Magdeburgensis, Domini nostri clementissimi auctoritate, electionem illam nostram clementer approbasse, & oblatam magistratus Academici conditionem accepisse: adeoq; superesse nunc hoc unicum, ut Academici senatus electio publicā magnificentissimi novi Rectoris renunciatione & solenni investitura effectui tradatur à me, magistratu scholastico abeunte, secundum leges & statuta, amplissimi Senatus jussu deinceps expediendum. QVOD igitur felix & faustum sit, Academiae nostrae honorificum & salutare, in corona hac augustissima splendidissima & amplissima, modò memoratum Illustrissimum Generosissimumq; Principem ac Dominum, Dn. AVGVSTVM SAXONIAE DVCEM, LANDGRAVIVM THVRINGIAE, MARCHIONEM MISNIAE, POSTVLATVM ADMINISTRATOREM NAVMBVRGBENSEM, qui Patrem

& utrunq; Avum, ut ulteriores fileam, Fratrem
 item Sacri Romani Imperii Septem-viros lau-
 dat, Ipse quoq; florentissimæ spei & expectatio-
 nis Princeps est, **MAGNIFICENTISSI-
 MVM ACADEMIAE NOSTRAE RE-
 CTOREM** publicè renuncio & proclamo,
 Ejusq; Celsitudini, in proximum hybernum se-
 mestre, Virum Clariss. & Doctiss. Ernestum Het-
 tenbachium Medicinæ Doctorem & Professore
 publicum, pro recepto Academiae more addi-
 tum Vice-rectorem esse significo, **IN NOMINE
 SANCTAE & INDIVIDVAE TRINI-
 TATIS, PATRIS FILII & SPIRITVS
 SANCTI.** Trado præterea Celsitud. Tuæ,
 inclyte Dux **AVGVSTE**, renunciate modò
 Academiae Rector magnificentissime, insignia
 magistratus scholastici, argentea duo **SCEPTRA,**
 librum **STATVTORVM, SIGILLVM, CLAVES:**
EPOMIDE etiam sive superhumerali Celsi-
 tud. Tuam investio, quo anno abhinc sexage-
 simo septimo, hoc eodem mense, biduo tamen
 post, suprà memoratus Illustrissimus Saxoniae Dux
IOHANNES ERNESTVS, Patruï tui maximi
ERNESTI Electoris ex filio **IOHANNE** itidem
 Electore nepos, ac idem Electoris paulò antè de-
 mortui filius & rerum tunc potentis frater, an-
 num ætatis agens similiter decimum tertium,
 solen

15


solenniter investitus est. Et deniq; PRINCEPS
Illustrissime, R E C T O R Magnificentissime, Do-
mine benignissime, Celsitud. & Magnif. T. de su-
scepto magistratu Academico submissa cum de-
votione gratulor, Eidemque cœtum nostrum
Scholasticum Collegarum meoque nomine com-
mendo, acut eundem & nos omnes, adeoq; con-
iunctim Docentes & Discentes, sua clementia &
benignitate complectatur, subjecta cum reveren-
tia oro & obsecro. Vos autem Academiae Cives
omnes & singulos, quotquot magno numero &
commendabili frequentia adestis, serio hortor &
moneo, ut hoc eximium D E I beneficium, quo
hodierno die Academia nostra affecta est, unâ cum
superioribus gratâ mente agnoscatis & recolatis,
Celsissimo & Magnificentissimo vestro novello
Magistratui Scholastico debita animi submissione
& subjecto obediendi studio occurratis, omnesq;
vestras actiones ita instituatis, ut vos reverâ D E-
VM TIMERE & REGEM HONORARE appareat:
ne sua magistratui & legibus obedientiâ non præ-
stitâ, legum pœnas, ad quorum alterutrum obli-
gamini, meritò incurratis. Hoc verò ne fiat,
faxit ille, qui utrumq; ut oculus videat, & au-
ris audiat, solus efficit, teste Solomone, omni-
um, quos Sol unquam aspexit, Regum sapien-
tissimo. Quod superest, oro F I L I V M D E I
Domi-

16
Dominum nostrum IESVM CHRISTVM, ut
sicut Ecclesiae suae summus Sacerdos & perpe-
tuus praeses est: ita Academiae quoque nostrae supre-
mus Rector & perpetuus protector sit: totamque
sequentem gubernationem scholasticam, & sin-
gulas eius partes, ita clementer dirigat ac fortu-
net, ut ad Divini sui nominis gloriam, Ecclesiae
ac Reipub. Christianae salutem, & Academiae
nostrae incrementum potentemque statum eviden-
ter tendat, ac feliciter cedat: quò tandem isto
etiam, quem CENTESIMVM aetatis suae an-
num, adeoque Iubilaeum Seculare primum,
Academia nostra perendie ingressura est, prospe-
rè decurso, sub finem primi & initium secundi
Academici seculi, eò lætius Seculare Carmen
pangamus, & alacriori voce concinamus:

bona, jam peractis,
Iungite fata.



RECTOR



RECTOR ACADEMIÆ
VVITEBERGENSIS BARTHOLO-
MÆVS REVSNERVS VRATISLAVIENSIS
V. I. D. & Professor

Lecturis S.



Magistratum, quem per semestre gessi Scholasticum, finem suum jam proximè spectare, monet sacer Luca Evangelista dies, qui in decimum octavum hujus mensis incidit. Ac sapienti consilio munus gubernandi publica studia, & disciplinam conservandi, hac vicissitudine personarum & operarum distributum est: ne scilicet uni alicui tantum onus impositum deniq; fieret intolerabile, aliaq; ejus necessaria & utiles opera, ob quas præcipue in Academia versatur, impediretur. Quàm difficilis enim his temporibus & moribus disciplinae publicæ gubernatio sit, quantumq; tædij & molestiarum habeat, experiuntur ij, qui alijs præesse, eosq; secundum leges & honestatem regere debent: & semel expertus nunquam porro diffitebitur.

C

Ac

18
Ac nisi DEVS Opt. Max. ipsemet supremus
scholarcha existeret, de successu gubernationis vix
ac ne vix quidem aliquid sperandum foret. Quod
itaq; & mihi commendatam proximis Calendis
Maij provinciam, ad hoc usq; tempus rectè, ut
confido, administrare licuit, & satis expeditam,
uti spero & voveo, resignare dabitur: id totum
divina bonitati acceptum fero. Quamvis au-
tem solenni isti novi Rectoris in hybernum seme-
stre renunciationi à condita Academia dies S. Lu-
ca, qui ejusdem natalis habetur, speciatim &
proprie sit destinatus, & proinde nunc etiam, quan-
do secularis suae durationis terminum & extre-
mum annum auspiciatur, idem fieri ex lege & con-
suetudine debebat: quia tamen ejusmodi cause ex
transverso interveniunt, quae jure & gravitate
sua maximè dominantur: necessario fieri oportet, ut
ex singulari dispensatione dies eligendo Rectori hac
vice anticipetur. Significatum igitur cunctis volu-
imus, qui nostrae Jurisdictioni sunt obnoxij, novo
Rectori solenniter eligendo & publicè renunciando,
dictum esse diem crastinum, qui mensis hujus deci-
mus sextus est. Vestrum erit ante horam septi-
mam matutinā (nam ex certis causis solito matu-
rius

rius solennis iste actus inchoabitur) dicto die in templo
arce contiguo frequenter convenire, Et quod
unum è precipuis est, DEVM supremum scholar-
cham conjunctis ardentibus votis invocare, ut
hanc Academiam, qua præ cæteris seminarium
Et officina est doctrinae de DEO Et via salutis no-
stræ, porrò etiam florentem sub tutela Et patrocini-
nio illustrissimæ DOMVS SAXONICÆ conser-
vare dignetur.

PP. die XV. Octobr. Anno Christi
MDCI.



20
Quandoquidem in superiori Ora-
tiuncula, ultra Principes Academiae nostrae per
primum ejusdem centenarium Rectores speciatim enu-
meratos, Comitum quoque & Baronum mentio facta est, quo-
rum tamen singulorum nomina inferere tempus & alia non
permiserunt, proinde hic saltem eorundem indicem,
insertis suo etiam ordine Principibus,
subjicere placuit.

- Rektor
17 **M**ELCHIOR Comes de Barby & Mulin-
gen, insignis Ecclesiae Cathedralis Argenti-
nensis Canonikus, Anno Domini 1510
per Hyemem.
- 26 **G**VOLFGANGVS Comes Palatinus
Rheni, utriusq; Bavariae Dux, &c. insignium Eccle-
siarum Cathedralium, Herbipolensis, Augustensis,
Spirensis, nec non Argentinensis Canonikus, An-
no 1515 per Aestatem.
- 27 **B**ERNHARDVS Comes de Eber-
stein, insignium Ecclesiarum Treverensis & Argen-
tinensis Canonikus, anno 1515 per H.
- 28 **V**DALRICVS Comes de Reinstein
Dominus in Planckenburg, anno 1516. per Aest.
- 34 **B**ARNIMVS Stettinensium, Pomeraniae,
Cassubiae, Slavorumq; Dux, Princeps Rugiae &
Comes Gutzkovie, anno 1519 per Aest.
- 37 **C**HRISTOPHORVS SCHLICK
Comes in Bassaw, Dominus in Weiskirchen, El-
bogen & Falckenaaw, Anno 1520 per H.

GVOLF

38

*GWOLFGANGVS Comes & Dominus in Stolbergk & VVernigerode, Halberstaden-
sis & Numburgensis Ecclesiarum Præpositus, anno
1521 per Aest.*

58

*VLRICVS SCHILLINGVS à Canstadt, Pincer-
na Ducatus Suevia, Anno 1531 per H.*

64

*IOHANNES ERNESTVS
Dux Saxoniae, Landgravius Thuringiae, &
Marchio Misnensis, inclyti & optimi Prin-
cipis Electoris, Ducis IOHANNIS filius,
Anno 1534 per H.*

65

*ALBERTVS Dux Brunsvicensis & Lu-
neburgensis, Anno 1535 per Aest.*

97

*CASPAR VLRICVS Comes à Rein-
stein, & Dominus in Blanckenburg, Anno 1553
per H.*

99

*STANISLAVS Comes in Gorca, Castella-
nus Brzestensis, & Capitaneus Buscensis, Anno
1554 per H*

100

*CHRISTOTHORVS Comes in Barby &
Dominus in Mulingen, Comitum VVolffgangi, quing,
Saxoniae Electorum Consiliarij integerrimi filius,
Anno 1555 per Aest.*

103

*MELCHIOR FASOLT à Schlesdorff, Anno 1556
per H.*

104

*DAVID VNGNAD Baro de Sonneck &
Frauvenburg, Anno 1557 per Aest.*

106

*ADOLPHVS Comes in Nassavv, Cattens-
Elbogen, Vianden & Dietz, anno 1558 per Aest.*

HEIN

- 22
- 107 HEINRICVS Baro à Staremburg, anno 1558
per H.
- 108 CHRISTOPHORVS Baro à Donauu, anno
1559 per Aest.
- 117 ERNESTVS LVDOVICVS Dux
Sedinorum, Pomeraniæ, Cassubiorum & Henes-
torum, Princeps Rugiæ, Comes Caycorum, anno
1563 per H
- 118 BARNIMVS Sedinorum, Pomeraniæ,
Cassubiorum & Henetorum Dux, Rugiæ Prin-
ceps & Comes Caycorum, anno 1564 per Aest.
- 119 IOHANNES GEORGIVS Comes in
Solms, Dominus in Muncenburg & Sonnevvald,
anno 1564 per H.
- 120 SIGISMVNDVS LVDOVICVS Austria
Baro in Polheim & VVartenburgk, anno 1565
per Aest.
- 128 BOHVSLAVS IOACHIMVS Baro à Lob-
covvitz & Hassenstein, Dominus in Litzkovv, anno
1569 per Aest.
- 130 STEPHANVS GANS Baro in Pudlitz,
Marchia Brandenburgensis Marefcallus hereditarius, an-
no 1570 per Aest.
- 133 MICHAEL SLAVATA Dominus à Chlum
& Cossenberg, anno 1571 per H.
- 135 IOHANVES Comes in Hardeck Glotz &
Machland, Baro de Statemberg, Dominus in Kreu-
zingen, hereditarius pincerna Archiducatus Au-
striæ & Papifer Stiria, in Letovvitz, anno 1572
per H.
- 140 IOHANNES CYRIACVS Liber Baro in Pol-
haim & VVartenburgk, anno 1575 per Aest.

143

ANDREAS VVOLFANGVS Baro Au-
striacus in Polhaim, anno 1576 per H.

149

LADISLAVS Sthleinitz Baro, anno 1579
per H.

158

ERNESTVS Dux Brunsvicensis & Lune-
burgensis, Anno 1584 per Aest.

159

AVGVSTVS Dux Brunsvicensis & Lu-
neburgensis, anno 1584 per H.

167

FRANCISCVS Banffi Lonsonci, Comes Do-
becensis, anno 1588 per H.

171

VVIGHARDVS Liber Baro à Promnitz, Domi-
mus in Pless, Sora, Tribell, & Hojersverda, anno
1590 per H.

193

AVGVSTVS Electorum CHRI-
STIANI I filius, & AVGVSTI nepos,
Saxoniae Dux, Landgravius Thuringie, Mar-
chio Misniae, postulatus Administrator
Naumburgensis, Academiae VVitebergen-
sis Rector Magnificentissimus XVI Die
Nov. anno Christi MDCI labente, &
Academiae Iubilæo-seculari primo ineun-
te, solenniter renunciatus: cuius Magistra-
tus & gubernatio, quemadmodum cœpit,
ut salutaris esse pergat, ac primum & se-
cundum Academiae seculum feliciter
conjungat, faxit æternus DEVS
benedictus in seculo.
rum secula.

F I N I S.

4
No. 2448 Gk.

110



ULB Halle

3

004 778 154



f

U 0 1 7





1416. A. h. 27. 9. 9



Illustris

Dn. A
SAXON
GRAVIVS
Misnia

R
ACADE
GENSIS


BARTH
U. I.

XV

Excudebat



V c
2448



KODAK Color Control Patches

Kodak

LICENSED PRODUCT
3/Color Black

© The Tiffen Company, 2000

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

